

ANALECTA IN PATHOLOGIAM ET THERAPIAM BUBONUM VENEREORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

H. L. Q. C.

DIE XXVIII. MENS. SEPT. MDCCCXX.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS JOANNES GEORGIUS MÜLLER,

RIGA-LIVONUS.

.....
DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.

MDCCCXX.



Imprimatur,

ea quidem conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui cen-
sura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, die XXI. Mens. Sept. MDCCCXX.

Dr. Joannes Fridericus Erdmann,
Censor.

D 17557

P a r s p r i m a.

Generalia quaedam de morbo venereo.

A. De sede et natura morbi venerei.

I. Morbus venereus non in systemate haeret lymphatico, sed morbis cutaneis adnumerandus est.

Cum Vogellii *) opinio, qui leprae et scorbuti quodam connubio et quasi coitu morbum venereum procreatum esse censet, mihi plane non arrideat, ad confirmandam meam de sede morbi sententiam, sequentia liceat in medium proferre.

Quaevis metamorphosis syphilitica vel in cute, vel in organis, systemati cutaneo adnumerandis sedem sibi

*) Heilkunst der venerischen Krankheiten, Wien 1817.

eligit, nec in alio quodam organo unquam venereus visus est morbus.

Rationes, quibus motus, Gonorrhoeam venereum non esse malum, contendo — alio dabo loco. Hic proferre sufficiet, labem ex ipsa natam, membranis in mucosis eodem ac morbus venereus in cute, modo — nasci et per totum propagari corpus.

Ex ceteris luis venereae symptomatibus, proposita sententia facile demonstratur. Quis quaeso neget, *ulcus cancrorum* in cute residere, quis non vidit telam cellulosem semimortuam ex cute ortam destructam, quae hujus fundo incumbit? Ulcus hoc cutaneum vel genitalia vel cutem, secretionibus non madentem, vel denique, sympathico quodam, genitalia internamque oris superficiem intercedente nexu, hanc corrodit. *Ossium damna*, ex lue nata, dolores nempe osteocopi, caries, tumores, gummata gallica etc. nil nisi morbi cutanei. Ossa enim ad systema cutaneum referenda. In animantibus quippe ordinum inferiorum in cute primum apparent, ut lamina ossea in velamentis mollescorum conspicua, — deinde cutis vindicant locum et denique, interioribus corporis partibus adjacentia, musculis — in animantibus humilioribus jam cuti affixis puncta praebent fixa. Ex hac ossium cutisque affini

nexu, morbosa illorum conditio hanc infestat, ut videre licet in rhachitide. Telâ insuper cellulari, quam praecipue morbus aggreditur venereus, — ossa stipata esse — nemo non dubitabit. *Exanthemata*, maculae, excrescentiae et verrucae venereae, in cute sunt, naturamque morborum praese ferunt cutaneorum. Excrescentiae nil nisi exanthemata magis individua, pseudorganismorum ad modum evoluta; nec quaedam series, ab exanthemate inde critico acuto ad exanthema chronicum et cutis pseudorganismos ascendens, ad phaenomena cutis morbosa animum accuratius intendentes, fugiet. Quod denique *tumores* attinet *glandularum*, in hominibus, morbo venereo laborantibus, obvios, hi ex systematis lymphatici cum cute physiologico deducendi veniunt, nexu. Utrumque enim organon, naturali jam vicinitatis vinculo junctum, systemati adnumerandum est reproductivo, ex qua affinitate maximum inter cutem et vasa lymphatica proficisci nexum, patet. Vasa porro lymphatica inter omnia certe, externis maxime contigua rebus, et nullo fere medio intercedente ab illis disjuncta; tam intime cohaerere cum cute, corporis velamento communi, nemo sane mirabitur. Morbo insuper venereo glandulae lymphaticae tantum illae detinentur, quae cuti adjacent, vasorumque lymphati-

corum, in corporis externis partibus radican-
tium, plexu conformantur. In aliis denique morbis cutaneis glandulae tument lymphaticae, et hos glandularum tumores a cutis produci laboribus, inter omnes constat artis peritos. Sic, si in aliqua cutis parte erysipelas accenditur, glandulas saepius inflatas et dolentes vidimus, quae vasa accipiunt a parte inflammata; sic glandularum axillarum tumores ex variolis humanis vel tutoriis insitis, sic glandularum colli in tineis, sic in pestis quadam specie, carbunculis et petechiis primo morbi initio apparentibus, ut cutis morbo, insigni, bubones observatos legimus.

Malum venereum in vasis lymphaticis non haerere, ex eo praecipue patet; quod lues, morbus topicus, vasorum vero lymphaticorum, per totum corpus intimo conjunctorum nexu, morbus, universalis esse debeat. „Lympham, inquit *Girtanner* *) miasma venereum corrumpit et ex hac corruptione omnia luis symptomata explicari possunt.“ Sed lympham est succum nutritivum communis et lues, morbus topicus!

Alio vero loco fusius hac de re disserere mihi habeo propositum.

*) *Abhandlung über die venerische Krankheit.* Göttingen, 1793.

II. *Telam cellularem, basin systematis dermatici depravare (indifferenter, fluidifera. Schmidt) tendit, morbus venereus.*

Telae cellularis, per morbum venereum *depravationem*, nec voluminis imminutionem, nec partium ipsius solutionem per causticum aut acre quid, esse cogites — sed sensu altiori hoc verbum interpretare. Ex tela enim cellulari, forma corporis humani primigenia, *χροτική* — systemata cardinalia, haematophorum nempe et nervosum, ut a communi nata stirpe, telam rursus cellularem sibi subjiciunt et ut illis inserviat, cogunt; ita, ut organa constituat omnia corporis humani, vasisque ac nervis pro fulcimento sit eorumque functiones subleves, tutas reddat, sinu materno foveat. Si vero tela cellularis, systematum nobiliorum regno erepta non amplius a nervis vasisque moderari patitur, tunc vitam *φιλαντικήν* iniisse dicimus, qua vel ipsius moles augeri, vel imminui potest. Primum quidem, si *φιλαντικήν* tela cellularis inceperit vitam, molem augeri necesse — cum nullus nisi vitae modus vegetativus ipsi insit, hoc vero nimis exulto et effreno, telam morbose increascere — facile credendum. Demum tandem, si telae cellularis incrementum morbosum maximum attegerit gradum, — vasa sanguifera,

ad iram impulsa, nisum vegetativum, ultra limites vangentem, aggrediuntur et flamma incenditur belli civilis, quod naturam induit inflammationis, cujus ope morbosam coërceri vidimus telae cellularis propaginem. Ulcera tali modo in cute et ossibus nascuntur et tumor glandularum inflammatus. Si vero cellularia nimis luxuriat in organis, vasorum copia minus insignibus vel diuturna, adversus telae incrementum morbosum pugna jam fessis, — illa palmam sibi eripit et venerei tunc propullulant pseudorganismi, verrucae scilicet, fici, thymi aliique ab auctoribus descripti. Sic verrucae in cute, — morbo longum tempus jam perdurante, sic in ossibus caro luxurians, — sic in bubonibus ulcerosis.

B. De genesi morborum venereorum et modo infectionis.

Duplex in morbo venereo observatur infectionis modus, alter nimirum *primarius*, si miasma venereum extrinsecus organismo applicatur, alter *secundarius*, si a primae inde infectionis loco ad alia proserpit morbus organa.

a) *Syphilitidis* nomine *localis* insignitur morbus priori infectionis modo, ortus. Ut oriantur homines

bini adesse debent, quorum alter infectioni sit obnoxius (quis enim est, qui nesciat, dari, qui intacti per omne vitae tempus lupanaribus fruuntur?) alter vero venereo quovis laborat malo; ad certum incrementi fastigium, quo, ut inficiat, aptum sit, evecto.

b) *Syphilitidis* nomen gerit *universalis* morbus, altero infectionis modo, natus. Unius ejusdemque organismi organa plura tunc infecta apparent simili ac in infectione primaria, modo. Ad hanc etiam infectionem singularis quaedam requiritur conditio corporis; cum notum sit, saepe hominem, ulcere venereo laborantem, absque omni morbi incremento hoc ulcus per annum et ultra retinuisse immutatum.

I. Infectio venerea secundaria (quippe quae fusius mihi nunc disquirenda venit) *non fit resorptione miasmatis specifici.*

Tritum hoc dogma de resorptione miasmatis veneri; per tot annos, per tot virorum, in medicina clarissimorum — auctoritatem sancitum est, ut tironi haud decere videatur, in re tam gravi quid amplius proferre. Atamen mihi veritatis amatori, veniam L. B. des rogo, brevibus exponere, quae, accuratius rem contemplanti, veritati accedere visa sunt.

Quis quaeso, ut incipiam de re, quam omni hypothesis fundamentum subjecerunt auctores, quis quaeso, miasma venereum plane ignotum resorberi posse, quis, resorbtum latius propelli et ad alia deponi organa experimentis unquam evicit? „Quid,“ ut clariss. *Reilii* *) verbis utar, „miasmatis semel suscepti progressui in vasis lymphaticis finem imponat? Omni in fluida corporis humani vi caret. Ea enim cuncta aggrederetur, cum cuncta una crasi gaudeant, quod experientiae contrarium est.“

In aliis locis, resorbitione facta, venereum quid ut oriatur malum, miasma ex loco, quo secretum est (ex ulcere nempe cancroso primario), in vasa lymphatica propellatur. — tunc vero per ductum thoracicum in sanguinem et per arterias ad loca corporis externa deferatur — necesse est. Forsan hanc viam nemo attenta mente consideravit, mihi vero altera pro hodierno anatomiae et physiologiae statu plane ignota. Quae vero impedimentorum turba infectioni venereae hac in via occurrit! Quantas in miasma, quod parva adesse tantum copia nemo sane dubitet, vires agere, quantam cladem a natura ipsi inferri credendum!

*) Memorabilia clinica. Vol. II. fasc. 1. pag. 187.

Vallii experimenta, ad quae contagium rabiosum, variolosum et pestiferum, — succo gastrico mixta vim infectionis perdebant. — per lympham et vel magis per aquam sanguinis oxygenatam in glandulis, lymphae affusam — miasma venereum penitus disjungi et aboleri — sat probant. In corpore denique vivo nil nisi inquinatum quid diu persistere potest. Aliena quippe omnis suscepta materies vel ab organismo assimilata evanescit, vel organismum ipsum assimilans sibi, mortem producit, — vel denique ex organismi limitibus propellitur, quin uterque quodammodo mutatus sit.

Regurgitari miasma venereum per vasa lymphatica ex glandularum istarum tumoribus, quibus accedunt vasa lymphatica a miasmate polluta, multis concluditur. Cute vero irritata, glandulas subjacentes per consensum, utrumque connectens organon, tumuisse, quis non vidit? ita, ut a tumida glandula non exstet conclusio ad susceptam in illam materiem. Antiquioris potius temporis medicinae et physiologiae doctrinis, maxima caligine adhuc pressis, — minime vero nostris, hac in re experientia et doctrina longe veteres antecellentibus, consentanea opinio videtur, glandulam, vesicae, per fluida inspissata, constipatae instar, distendi aut per irritantem quondam laticem inflari posse.

Talem in medium profert hypothesin *Schaarschmidt**).
 Simile quid edunt: *Astruc, Couper, Boerhaave*, imo
Bell et Martens.

Glandularum tumor, initio ab incremento telae
 cellularis a statu sano aberrante, proficiscitur, postea
 vero hoc excipit sanguinis in vasculosa glandulae tex-
 tura stagnatio.

Morbus venereus certe non propagatur miasmatis
 motu peristaltico vel in alias partes demigratione.

Specifica potius virtute pollet laudatum miasma
 in systema reproductivum (telam cellularem), unde fit
 ut morbus ad glandulas transferatur, quae efficacia et di-
 gnitate in systemate eminent reproductivo.

Non resorberi miasma venereum sequentia deni-
 que probant, ab experientia sat confirmata:

a) Dantur, quod primum est, qui per totum vitae

*) Theoret. und pract. Abhandlung von venerischen
 Krankheiten. Berlin 1750. S. 128. „die Inflam-
 mation äußert sich ordentlicher Weise von Anfang
 bei den Dribonen niemals, sondern sie entstehen bloß
 von Stockung lymphatischer Säfte. Wenn diese
 aber zu sehr überhand nimmt, so entsteht, indem
 die benachbarten Gefäße gedrückt werden, eine Ent-
 zündung.“

tempus non inficiuntur a miasmate venereo, etsi saepius ab illo polluantur.

b) Ulcere dein venereo laborantes absque ullo nonnunquam morbi incremento et progressu hoc ulcus per longum tempus retinent.

Sane aegre haec explicarentur, si miasma venereum resorberetur, si humores inquinaret, — chemice et immediate se multiplicet, eaque ratione subsederet effectus. Lues universalis semper oriatur necesse ex ulcere caneroso, cutem depascente, si resorptio miasmatis causa unica esset morborum venereorum. Organismi vero vivi indolis et naturae plane immemores, miasma solum morbum producere sibi habuerunt persuasum auctores, cum ex utriusque — corporis nempe vivi cum contagio, — foedere inito originem ducat. Num, miasmate re vera resorbto quid fieri potest, quin organa ipsi reageant? Num credendum, contagium venereum blandum et mucosum, ratione mere chemica in corpus agere, cum notum sit, venena gravissima tantum, chemicam, et vel hanc pro parte in corpus exserere virtutem? Num denique alicui in mentem venit, contagia alia, typhi e. g. vel variolarum, chemicis adnumerare potentiis?

Rem uberius, quam suscepti operis ratio permit-

tit, tractaverunt: clar. *Horn* (*Handbuch der medicin, Chirurgie, Band 2., S. 267 seq.*) et *Reil* in *Memorab. clin. Vol. II. fasc. 1. p. 158.*

Contagium venereum chemice et mechanice humoribus admixtum, in illis multiplicari, denuo progigni, ad hanc vel illam corporis partem exsudari, talique modo luis consecutivae symptomata produci, — quis est, qui neget, haec omnia vana esse, a veritate plane discedentia et naturae iudicio prorsus non conformia?

II. Infectio syphilitica secundaria, omnino similis fit modo, ac primaria, utraque vero organica virium organicarum in se invicem efficacia consummatur.

Contagium nil est nisi medium, sine vim fovens generatricem et ut in omni vivo, sic et in contagio corpus adest et anima i. e. actio dynamica, quorum alter absque altero esse non potest. Cum vero nota sit res, materiam praepollere in vita humiliori (materiali) animam contra in altiori (ideali), certe non miraberis; quod miasma, morbum incendens in systemate humiliori, reproductivo nempe, imo in humilissimis hujus systematis regionibus corpoream habeat naturam. Unde fit, ut virtutem suam in corpus tantum

exserat humanum, si id tangat; non vero, contagii typhodis ad instar, per aërem volitans, telis infestet funestæ genus humanum.

Ut quis morbo polluatür venereo, contagium solum nil potest, — sed conspirare debent, corpus alterum, morbo jam venereo laborans; alterum vero, infectioni obnoxium. In organis tunc affinibus i. e. homonymis, nondum infectis, malum ultra proserpit. Morbum enim ad affinia tantum propagari organa, pathologia docet. Ille enim indolem et propriam sibi sumit naturam ab organo, quem occupat; nec unquam spectari potest per se, quin organa considerentur, quibus inhaeret. Contagii ope hæc, quam diximus, conflatur infectio.

Eadem fiunt, si organa inficiuntur ab organis corporis ejusdem, cum eadem organa ejusdem corporis ac corpora diversa intercedat ratio.

Hæc autem organi cujusdam per alterum infectio, inter organa plura tantum et quidem homonyma fieri potest, unde in morbis praesertim, systematis cujusdam singulas infestantibus partes, — quibus et morbus adnumerandus venereus, — observatur. Ille totam cutem, ipsique substratam rem cellularem, vel omnem potius cellulosa sic dictam atmosphæream et re-

giones ejus magis excultas (cutem nempe et ossa) permigrare visus; unde fit, ut ad summum tantum eventus fastigium febrem habeat sociam, eamque lentam, ex humorum potius jactura et doloribus per diem noctemque saevientibus natam, quam ex nobiliorum laboribus organorum. Cutis tantum cellulosum contextum; non nervos, non vasa, non respirandi facultatem aggreditur.

Summo certe influxu in rationem medendi bubonibus venereis gaudet differentia, quae intercedit organorum homonymorum infectionem et, aut totius systematis vel organismi a morbo locali morbosam conditionem, aut morbum consensualem aut denique morbum metastaticum. Brevibus hanc delineare liceat. In morbo, ex communi corporis sympathia orto et in morbo consensuali, symptomata descendunt generalia ex harmonia organorum turbata; in morbo vero, per infectionem partium homonymarum, organa plura illaque discreta idiopathice laborant, quin totum in sympathiam trahatur corpus. Decursus rem illustrat. Morbus nempe consensualis simul nascitur interitque cum idiopathico; — idiopathicus verb, infectioni originem debens, — jam perdurat, etsi malum protopathicum sanatum sit. A metastasi denique non homo-

nymum, sed organum affine corripitur; — et morbus cessat primarius, si metastasis apparet. Extensae insuper res metastasin producere solent, nec organum propria parte incidit in passionem; cum e contrario in morbo, per infectionem organorum homonymorum orto, — actio morbosa, ab externis non mota rebus, vi interna regnum amplificet.

C. De morbis venereis primariis.

I. Primum in corpore, a miasmate venereo, infecto apparet ulcus cancrosum et illud quasi prima et simplicissima luis stamina constituit. Gonorrhoea (Urethritis syphilitica apud Schmidt) non est morbus venereus.

Hac de re multum certasse egregios viros, quis est, qui ignoret. Tamen, quae aliis placere, ob thematicae abundantiam silentio praeterire sane juvabit; breviter tantum expositis rationibus, quibus motus clarior. Ritter in libro, qui inscriptus est: Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit und wesentlichen Verschiedenheit, welche zwischen der Schankre- und Trippersenche wahrgenommen wird. Leipz. 1819. gonorrhoeam, morbum non esse venereum ingeniose demonstrat.

1) Morbi, qui ex gonorrhoea proveniunt illamque excipiunt, quique *Rittero* sub nomine veniunt luis gonorrhoeicae (*Tripperseuche*) mirum discrepant in modum a morbis, ab ulceribus productis cancris, quos nomine designat luis cancris (*Schanferseuche*). Depictum utrumque morborum genus invenies in cap. II. usque ad V. libri citati.

2) Gonorrhoeam virulentam, cum primum lues venerea in Italia visa est (a. p. C. 1494.) plane ignotam, triginta novem annos post, a *Brassavolo* descriptam invenimus.

3) Gonorrhoea, teste *Blighio* et *Forstero*, incolas insularum maris australis jam infestabat, priusquam lues ab Europaeis illis allata fuerit. Non autem reticendum, hoc gonorrhoeae genus a refrigerio potius perpeso, ortam esse.

4) Cutem integram mucus gonorrhoeicus non aggreditur; si, epidermide destitutam polluit, ulcuscula quidem, sed non cancris producere valet.

5) A pure ulcerum cancris, urethrae instillato, gonorrhoeae similem interdum morbum, numquam autem veram luem gonorrhoeicam, sed potius cancrisam vidimus. Alios praeterea stimulos, simili in urethram effectu gaudere, notum.

Gonorrhoea insuper nullo non tempore una cum canceris laborarent homines infecti, si morbus uterque ex communi gigneretur fonte, cum aequè urethrae orificium, ac glandis superficiem durante coitu attingit miasma. Idem, ut multis placet, miasma nunc caneros, nunc gonorrhoeam producere; prout vel ad hanc, vel ad illam deferatur partem, falsum. In sexu enim equiori miasma canerosum membranas mucosas, vaginae internam quae obducunt superficiem saepe poluit, quin gonorrhoea oriatur. Gonorrhoea verum, una cum canceris semper incederet, si ex organi affecti natura diversus nasceretur miasmatis effectus.

6) Vagina praesertim, nymphae, carunculae myrtiformes, labiorum internae partes; in feminis, gonorrhoea correptis laborant, urethra non raro ab omni aegritudine destituta. Eaedem igitur, ac in morbo caneroso partes decumbunt, imo urethram vidimus immunem, a cujus indole et structura peculiari gonorrhoeam proficisci, multis persuasum. Attamen canceri non prodeunt, sed gonorrhoea, symptomatibus iisdem stipata, ac gonorrhoea virorum.

Miasma gonorrhoeicum in membranas tantum mucosas potestate pollet; miasma canerosum cutis quolibet partem, epidermide velatam tenera, corrodit.

7) Gonorrhoea morbus est acutus, canceri chronicam exhibent naturam. Ex gonorrhoea suppressa acuti observantur morbi — ophthalmia, orchitis, febris inflammatoria atrox cf. *Ritter* l. c. §. 34.

8) Autocratia naturae gonorrhoeae semper medetur, si aegri recta utantur diaeta; — medicamina nil prosunt. Canceri vero arte tantum sanantur, a natura non debellantur.

Sane phaenomena cum suscepta conspirant hypothesis et experientia persuadet, theses supra expositas veritati accedere; si forsitan excipias octavam, de qua novissimis temporibus multum angli certarunt medici — (*Rust Magazin*. V. 2. p. 249). Sub iudice autem adhuc lis est!

II. Nescimus, an bubones post coitum suspectum absque gonorrhoea et canceris prodire possint, ita ut prima exhibeant vestigia morbi, nec ne? Non videtur.

Hac de re multum certant auctores, unde juvabit, discrepantes in medium proferre opiniones.

Teste *Walch* *) bubo idiopathicus, quo sub nomine

*) *Walch* ausführliche Darstellung des Ursprungs u. der vener. Krankh. Jena 1811.

ipsi venit bubo, a potentia nociva extrinsecus in glandulam ipsam ejusque texturam agente; per miasmatis extrinsecus admoti resorptionem suscitari potest, quin gonorrhoea vel cancri adessent. Rarius hoc fieri, attamen fieri et quidem durante coitu infectionem saepissime consummari docet. Eandem in sententiam abeunt: *Martens*, *Berlinghieri* *), *Fabré* **), *Hunter* ***) et alii. *Martens* †) primarium derivat malum venereum ex miasmatis parva copia et alio loco hoc bubonum genus nomine designat bubonis protopathici i. e. ut ipsius utar verbis: „ein Bubo, ursprünglich durch Resorption entstanden, ohne bestimmte Form (?) der Localsyphilis.“ Aliquem igitur morbum excepisse, non est, quod negat, sed hunc non penitus evolutum esse docet. *Hunter* ipse haesitasse videtur, an haec vel illae palmam offerat sententiae et sagacissimus observator, vanis, opinionum de resorptione miasmatis venerei commentis, aciem oculorum perstringi passus est.

*) Handbuch der vener. Krankh., übers. von Leune. Leipz. 1801.

***) Traité de maladies veneriennes. Paris 1781.

***) Hunter Abhandl. über die venerische Krankheit, a. d. Engl. Leipz. 1787.

†) Handbuch zur Kenntniß der vener. Krankheit, Leipz. 1804.

Primum enim; hunc infectionis modum rarissime observari docet p. 434: „wenn man bedenkt, wie selten bei einem Tripper eine solche Einsaugung und Entstehung des Bubo ist (wo doch die einzusaugende Materie lange dargeboten wird), so ist wohl die Einsaugung bei bloßer Berührung (beim Schanker) kaum wahrscheinlich. Alio autem loco resorptionem fieri posse affirmat, quin prius cancri producerentur. *Bell* *), ut plurimum bubones cancris supervenire docet, sed occurrere re vera primarios, etsi raro reperiantur. Inter centenos enim aegros, hoc morbo laborantes, vix unum se invenisse refert, qui primarium exhibuerit bubonem. *Schelle* **) bubonem idiopathicum semper fere primum esse, nec a malo venereo locali origines repetere affirmat. Mala venerea localia, qui excipit vel comitatur ipsi vel est consecutivus vel metastaticus vel denique consensualis. Clar. etiam *Horn*, quem in doctrina de morbis venereis habui praeceptorem, pia mihi semper mente colendum, glandulas tumere posse inguinales sibi habet persuasum, quin praegressi sint morbi venerei in loco infectionis ipso. Hos bubones, idiopa-

*) *Bell* über den bössartigen Tripper, a. d. Engl. Leipz. 1794.

**) *Schelle* in *Hufelands Journal* IV. 1. pag. 92.

ibicos nuncupat. Raro reperisse, sed re vera, teste experientia occurrere docet.

In contrariam alii vergunt sententiam. Sic *Wendt* *): „Man nimmt auch den Bubo als primäre syphilitische Form an, doch ohne allen Grund und immer nur als Möglichkeit. Eine unmittelbare Erscheinung des syphil. Bubo nach einem verdächtigen Beischlaf, ohne Dazwischenkunft einer von den Urformen, läßt sich weder theoretisch erklären, noch praktisch nachweisen.“ Quam anceps sit iudicium in re, quod ingenue viri inclity fatentur, maxima adhuc caligine pressa, neminem sane fugiet. *Schmidt* **) in praelectionibus, morbum venereum localem semper antecedere universali, demonstrat et *Schwediauri* sententiam de syphilitide universali absque praegressa locali gravibus refutat argumentis.

Saepe certe morbus venereus localis, bubonibus praecedens, — visum medicorum fugiebat, unde nullum adesse sibi habuerunt persuasum. Nec hoc mirum; multi enim sunt, qui nervorum magno torpore laborantes ulcusculum non sentiant venereum, multi,

*) *Wendt* die Pusteluche in allen ihren Richtungen. 1816.

**) Vorlesungen über die syphilitische Krankh. Wien 1812. p. 171.

quibus praepatii plicae cancrum, vel vesiculam abscondant, lympham repletam. Plerumque quidem bubonem die III. vel V. post cancrum natum, nonnunquam autem X. vel XIV. die demum, imo cum ulcusculum jam sanatum sit apparere notum. Nonne symptomata forsitan dantur luis primariae, quorum natura medicis plane lateat ignota?

Attentius hanc rerum conditionem contemplanti, facile in mentem veniat, — saepius primarios nuncupatos esse bubones, luem attamen primariam excipientes, quae ulcusculo venereo vel simili quodam prorsus abscondito malo venereo, corpus infestabat.

Pars secunda.

Analecta in pathologiam et therapiam bubonum venereorum.

Cap. I.

De Bubonum natura et divisionibus.

Bubones venerei inflammationes sunt glandularum lymphaticarum, cuti adjacentium, ex morbo venereo.

Aptius sane bubones nomine: tumorum venereorum glandularum lymphaticarum designarentur, cum Bubo secundum *Cullenii* definitionem (*Nosographia methodica*. CXV.) sit: „glandulae conglobatae tumor suppurans.“ Minime vero bubones semper suppurare, nec talem tantum a natura ipsis praescriptum esse exitum, quis est, qui neget? Pro notione vero semel stabilita, quam apud auctores invenimus, nomen hoc,

exclusa quidem Cullenii definitione et nobis assumere placet.

In nullo certe morbo tanta nominum, tantaque divisionum turba apud auctores tibi occurrit, quam in nostro. Quascunque unquam excogitarunt medici bubonum differentias, vel ad naturales, vel ad fictas tantum redeunt diversitates et in morbum venereum relationes. Morbi autem notionis, e pathologia sana desumptae, inmemores, — non defuit, quin maxima obruerent caligine hanc doctrinam, ita, ut filo deperdito ariadneo effugere nequeant labyrinthum. Neglectis enim legibus, ad quas corpora animalia morbose immutantur, incerta abripimur hypothesisum voragine. Veniam igitur des rogo, ut, quae mihi de morbi natura et symptomatum visa sunt, paucis in medium proferam, unde regula, ad quam bubones ordinentur, facile inveniatur.

Morbus, nil nisi processus vitalis et organismus proprius et quidem humilior, ac sanus. Signis igitur, tum in actione, tum in materia conspicuis gaudet, quae sub nomine veniunt symptomatum. Symptoma, illa nuncupatur vitae ac corporis mutata conditio, quae ex solo proficiscitur morbo. Illud essentiale seu pathognomonicum audit, una cum morbo nascitur inter-

itque, et ex mutato per morbum processu vitali ac metamorphosi deducendum. Mirum in modum a symptomatibus discrepant essentialibus, temporaria seu accidentalialia, ex organorum mutuo inter se invicem orta concentu. Hæc enim nec semper morbum comitantur, nec e passione, quæ morbum constituit, specifica originem ducunt. A symptomatibus denique omnino discedunt morbi, alio, affinitatis simplicis et antagonisticæ, vel organorum homonymorum infectionis ope, socii. Sic inflammatio meningum cerebri in febre obvia nervosa inflammatoria symptomatis respuit nomen, sic testiculorum inflammationes in parotitide, sic in morbis uteri, mammarum tumores.

His, quos exposuimus, morbis, symptomatibus similibus, bubones censeo adnumerandos, quippe qui nec essentialia nec accidentalialia morbi venerei symptomata, sed morbi potius mihi videntur proprii, per affinitatem glandularum cum cute nexum vel per infectionem organorum homonymorum, morbo accedentes venereo.

Sæpius organum quoddam e communi cum altero stirpe natum, eodem correptum morbo vidimus. (Morbus consensualis per simplicem affinitatem.) Sic telæ, quæ cutem constituit cellularis, graviores per miasma

venereum productae labores, systema lymphaticum in sympathiam vocant, unde initio vasorum lymphaticorum a statu sano recedens conditio, demum vero glandulae cujusdam lymphaticae tumor observatur, quod bubonum genus: tumoris glandulae lymphaticae, per consensum orti s. *bubonis consensualis* nomine nuncupamus. Hoc in statu saepius glandulam perseverare vidimus, quin alia fiant, imo desidere tumorem, si graviores forte cessent pugnae, cutis contextum cellulosum vastantes. Saepenumero autem ad glandulam, jam per consensum laborantem, specifica proserpit actio, a miasmate producta venereo (depravatio nempe telae cellularis), unde primum quidem in tela cellulari, illam obvolvete morbum conflatum, dein vero et vasa correpta vidimus, unde bubo venereus inflammatus, qui: tumor glandulae lymphaticae per contagium ortus seu *bubo contagiosus* nominandus.

Bubo igitur contagiosus semper ex praecedente bubone consensuali stadium sibi sumit primum et hoc quidem consensuale. Quodsi primam morbi originem respicias, ex affini glandulae cum cute nexu desumendum videtur, ut telae cellularis morbus iste individuus ad illam propagari possit.

Laudatae bubonum ad morbum venereum relatio-

nes, inter omnes constant, omnibusque placuere; minus vero aliae arident bubonum divisiones. Bubones nempe, quae prima est, citra ullam cutis morbosam conditionem praegressam non ita post coitum vidisse referunt suspectum, his nomine idiopathicum, aliae vero primariorum insignes cf. pag. 14. II. Morbus certe non consensualis sed potius protopathicus! Meam vero hac de re hypothesin, his contrariam, priusquam abjicias, — memor sis, rogo; quod, nec primarios existere bubones experientia jam firmiter annuerit, — nec alium morbum, naturae prorsus ignotae, vices cancerorum tenentem, in rerum natura adesse negaverit. Quod ad aliud attinet bubonum genus, quod citra ullum coitum proxime praegressum, testis Astruc (de morb. ven. lib. III. cap. V. p. 218) lui confirmatae nonnunquam esse comitem adjungit, neque dispareret prius, quam post illam demum curatam, — pristino forsitan aevo tantum proprium nobis videtur. Hujuscemodi vero omnium rarissimi conspici bubones, jam exinde quodammodo evadit, quod eorum, qui de morbis venereis scripsere, plerique hunc casum singularem silentio praetermiserint. Quod reliquum est, ipse van Swieten (Comment. in Boerhavi aphor. §. 1448) ingenue confitetur; „esse numquam vidisse bubonem,

qui non recenti coitu, aut cancris, aut gonorrhoeae, male curatis, originem debuisset."

Inanis sane labor esset, si commemorare vellem, quascunque unquam medici excogitarunt bubonum venereorum differentias. Afferre sufficiat nomina, quibus designaverunt genera bubonum, a nobis allata.

Bubo consensualis nonnullis audit symptomaticus (Hecker, Astruc, Fritze). Certe hunc confundunt cum sympathico (consensuali); symptomaticus enim hujusmodi tumor nominandus esset, si lui accederet universali.

Bubo contagiosus ab his idiopathicus, ab illis vero metastaticus nominatur. Utrumque nomen naturam morbi male designat. Quis est, qui credat, bubones per metastasin oriri posse? V. quae supra de metastaseos natura attulimus p. 16.

Nomina denique quod attinet Bubonis primarii, protopathici, secundarii, deuteropathici, consecutivi — hae desideriiis nostris satisfacisse non videntur, quippe quae morbi indolem specificam non depingant.

Cap. II.

Bubonum stadia et symptomata.

a. de decursu regulari.

Si concessum, tumorem glandulae inguinalis con-

consensualem a morbo cutis venereo proficisci (certis quibusdam, quod nemo denegat, annuentibus causis) si porro certum, per hanc glandulae erga cutem affinitatem amorem, in illa morbum incendi posse syphiliticum, saepissimeque incendi, sat firmo concluditur argumento: *consensualem glandulae tumorem primum bubonis contagiosi esse stadium*. Primum tantum stadium bubonis venerae evolutum censendum, si glandulae tumor desidet, quin ad infectionem pervenerit. Tumor igitur consensualis pro venereo non habendus, quippe qui, cute glandulae adjacente, cuilibet modo irritata, nascitur; — tumor autem inflammatorius fixus, venereus nominandus, cum sit insignis inflammationis venereae symptomatibus, nec a cutis irritatione quacunque suscitetur.

Stadium primum bubonis contagiosi morbus est vegetativus simplex. Bubo consensualis nobis venit sub nomine:

A. Stadii vegetativi bubonis venerae.

Incrementum molis abnorme, luxurians vel *tumorem* stadium hocce pro caractere sibi sumit generali, incendii signa protinus respuens.

Tumor cum sensu incipit ingrato, tensivo, gravativo, ad inguinum regionem haerente. Pede protenso

vel femore flexo, dolores aeger persentit, graduque incedit fracto. Sensim sensimque tumor, initio tactu tantum dignoscendus, increscit, externe apparet, digito prementi non cedit, et facile in tela ultro citroque movetur. Cutis colorem prae se fert prorsus naturalem, rarius, si nimis tensa sit leviter erubescit et dolores, alias mitissimi plus minus exacerbantur. Plures plerumque inflatae apparent glandulae, durities haud modum superat quemdam et malum lento incedit gradu. Ulcus tunc temporis venereum aut incendium sustinet grave aut minutissimum dolore caret aut denique ex aliquo jam clausum tempore. A lue tunc tela jam infecta credenda.

Durante hocce stadio morbus (vegetativus nempe s. pseudogenesis) in tela tantummodo, glandulam involvente haeret, quo fit, ut glandulam ipsam ambitu naturali gaudere; tumorem vero, tela morbose progenerita stipatum, non raro videamus. Stadium primum, aut, si ulcus venereum remediis sit debellatum aptis, — stadium excipit reconvalescentiae vegetativae, — aut morbus ad telam glandulae ipsae ultra proserpfit in ipsaque (tela) similem, eamque specificam producit metamorphosin (telae nempe cellularis *αυτοφιλία*) quo peracto naturae conamina salutaria irrita fiunt,

luesque venerea glandulae vasa ad bellum provocat. Prima infectionis venereae vestigia signis carent apertis.

B. Stadium inflammatorium bubonis venerei.
(Bubo contagiosus)

Tumor increscit et glandulam occupat unam (rarius binas), ovi gallinacei ad magnitudinem saepenumero distensam. Cutis accedunt rubor, durities, calor auctus, nec desunt dolores acuti pungentes, a doloribus in primo obviis stadio facile dignoscendi. Febrem denique vespertinam inflammatio, ad summum eversa fastigium, sociam sibi assumit.

Incendium hoc characterem praebere *vegetativum*, jam ex eo patet, quod morbus in organo vegetativo sedem sibi elegerit. Symptomata inde, a morbo producta vegetativo, pseudogenesis nempe, praepollent; — dolor autem, symptoma sensibilitatis, — rubedo denique ac calor auctus, quippe quae ex vasorum profiscuntur calamitatibus, minus sunt conspicua. Lentius porro decurrere et ad resolutionis exitum procliviorē vidimus hanc inflammationem.

Deinde quoque tumores hi id solenne habeant, quod signa exhibeant incendii venerei. Rubor nempe, durities, tumor ac dolores certis quibusdam limitibus detinentur, nec ex illis longius procedunt. Rubor li-

vidus, fere cuprinus, — calor modicus. Suppuratione tantum facta, ultra limitem praescriptum rubedinem vagari vidimus, nec tunc termini desunt, quibus sepiatur.

Summo denique incendii fastigio (*ακμῆ*) stadia succedunt reconvalescentiae, bina, binis aegrotationis respondentia stadiis. Primas inter haec tenet vices:

C. Stadium suppurationis et resolutionis, vel stadium animale reconvalescentiae.

a. Resolutio. Symptomata inflammationis decrescere et penitus evanescere vidimus, morbus in stadium transit quartum. Hic desideratus tumoris exitus arte plerumque obtinetur, — rarius a natura affertur ipsa.

b. Suppuratio signis incedit sub notis et patientia . iectoris abusus viderer, si copiose describere vellem rem, sexcenties jam ab auctoribus repetitam.

Ex organismi morborum (*Krankheitsorganismus*) organica destructione, durante suppuratione, organismus nascitur normalis et resolutionem, suppurationem esse, oculis se subtrahentem — mihi habeo persuasum, ita ut similis haec intercedat ratio, ac lysis et crisis.

Naturam prorsus individuum bubonum venereorum sibi assumit suppuratio ex causarum propria conditione. Virus nempe venereum, organismi conami-

nibus plane non debellandum, durante suppuratione iterum iterumque in partem agit affectam, quo fit, ut denuo incendatur inflammatio, denuo in suppurationem abiens. Hinc explicatur chronica, quae bubonibus solennis est, supurationis malignitas, dururnitas et huic juncta virium consumptio, — nec non in pyogeniam nisus, saepius observatus, naturae vero inflammationis vegetativae prorsus non conformis. Morbus insuper venericus, naturae irridens autocratiam, — telae cellularis particulis quibusdam mortem infert; unde ichor gangraenosus, chemicam per destructionem ortus puri admixtus, ulcus vetum produxisse haud raro visus est.

D. Stadium resolutionis consumatae s. stad. vegetativum reconvalescentiae.

In hocce stadio pseudorganismus evanescit et glandula in pristinum redit statum, — tela cellulari, stamina tumori praebente — reducta, dissoluta et iterum assimilata.

Bubo consensualis, excepto primo, hoc tantum agnoscit stadium et tela, morbose productae per assimilationem aut si dicere licet, coactionem, ope telae organismi factae, — sanatur.

b. de decursu irregulari.

Pro diversa inflammationis, exitus, habitus atque sedis indole — decursum variare et a descripto diversimode diacedere vidimus, — quare juvabit, has sigillatim exponere diversas conditiones.

1) *Inflammationis differentiae.* Inflammationem pro organi, quam detinet, natura a) vegetativum praebere characterem, jam supra exposuimus. Diversis haec auctoribus venit sub nominibus. Sic: serosa, passiva, venosa, — lymphatica nuncupatur, — sic Bubo atonicus (Schwediauer) sic: forma athenica cum habitu oedematoso (Schmidt). In hominibus, habitu phlegmatico vel cachectico insignibus et torpida nervorum conditione maxime hanc excultam vidimus formam. b) Infl. animalis (arteriosa, phlegmonosa Richter. B. tonicus Schwediauer. Inflammatio sthenica, activa Hecker.) Eminent in hac symptomata, quae inflammationis essentialem constituunt notionem. Vehociter decurrit, — tumor citius increscit, — rubor manifestus, constans, late diffusus, imo ad femur usque et ad testiculos spargitur, — dolores observantur acutissimi, — maximus in suppurationem, imo in gangraenam nisus. Hominibus incendium hoc torosis, plethoricis, abusui vini sive alcohol deditis minuitur.

c) Infl. denique sensitiva (nervosa, sensibilis Richter-asthenica, paralytica, typhica, — asthenica cum characterere erysipelatoso aliorum) signis, quae ex pseudogenesi originem ducunt, — tumore nempe minus conspicua, — symptomatibus stipatur, quae nervorum laboribus conciliantur. Sic dolores adsunt vehementiores quidem, sed nervosi, spasmos consensuales vasis praesertim infligentes, — sic rubor pallidus, fugax, erysipelatodes, ad totam crebro regionem inguinalem, imo ad abdomen et crura profusus. Lentius incedit et pravam plerumque in suppurationem transit hoc bubonum genus. Non desunt exempla gangraenae, ex irritabilitate vasorum, enormiter exaltata. In hominibus mediae aetatis, systemate nervoso admodum sensibili instructis, haec occurrit inflammatio.

2) *Exitus differentias.* Resolutionem tantum pro normali habendam esse exitu, cum natura morbi suppurationi tantum faveat chronicae, quippe quae nullatenus ad normalia referenda exitus genera — jam alio monuimus loco. Abnormi igitur modo transit, morbus vel in suppurationem chronicam, vel in indurationem, vel denique in gangraenam.

a. Puri in bubone suppurante vix non semper saniem et telae particulas gangraenosas vidimus admix-

tas. — Per longum haec suppuratio extenditur tempus, homines etsi sanos et inviolata humorum crasi gaudentes per trium ad quatuor hebdomadam spatium excrucians, — doloresque ipsis inferens molestissimos repetitis inflammationibus. In corporibus autem magna insignibus incitabilitate et virium labe ex inflammatione, vegetativam vel sensibilem induenti formam et in scrophulosis ulcus progigni vidimus malignum, difficile sanandum, fistulas quod procreat et telae per saniei copiosum defluxum destructionem.

b. Indurationem nil nisi stadium esse vegetativum, a normali non devincendum organismo, quod formam accipit pseudorganismi, nobis persuasum habemus. Non reticendum, inflammationem bubonum ad hunc pendere exitum. Praecipue supervenit inflammationi vegetativae in hominibus ad glandularum morbos proclivioribus et in illis, qui scrophuloso laborant morbo. In his ad abdominis partem imo in cavum ipsius irrepere visa est induratio.

Majorem si ad gradum perducitur, partibus vicinis assimilatis sponte increscit et pseudorganismi luxuriantis (h. e. scirrhi et canceri) naturam sibi assumit.

c. Gangraena s. mors localis raro omnibus nume-

ris absoluta apparet. Summo nonnumquam in inflammationis sensitivae, imo animalis observatur fastigio; rarius suppurationi supervenit malignae, in scorbuticis praesertim et illis, qui nosocomia inhabitant aëre corrupto referta.

Cap. III.

Diagnosis bubonum venereorum.

Quod definiendas attinet differentias, quae bubones intercedunt similesque tumores, — horum nomina adjectis quibusdam argumentis, rem illustrantibus huc afferre mihi propositum.

1) Glandularum inguinalium tumores sympathici, gonorrhoeam comitantes. Saepissime simul ulcus adest venereum, quo fit, ut diagnosis errori persaepe subjiciatur. Tunc enim haud facile determinari plerumque potest, utrum tumor ad bubonea pertineat gonorrhoeicos, utrum ad venereos. Hac in rerum angustia ad sequentia respicere juvabit.

a. Tumor sympathicus imminuitur, si inflammatio urethrae remittit; augetur vero, si incendium magis increscit, praesertim cum per injectum quid acre ad tantum sit evectum fastigium, ut muci n'l amplius destillet ex urethra,

b. Tumor sympathicus plures occupat glandulas, doloribus tensivis ad totam inguinum regionem ac sensu quodam ingrato per crus et inferiora abdominis diffusis. Testes porro et viscera abdominalia saepius in sympathiam vidimus vocatos. A morbo venereo glandula una tantum inflari solet, — dolores ad locum haerere vidimus circumscriptum, latius tantum diffusos, si partes vicinae cutis a tumore magis magisque incrementales distenduntur.

c. Tumores sympathici mollitie gaudent majori, — nec deest major in resolutionem, quam in suppurationem nisus. — Citius resolvuntur, citius suppurant, quam hoc bubonibus contigerit venereis.

d. Signis destituuntur inflammationis venereae.

e. Si ulcus ex illis natura vidimus, hoc signa respicit ulceris venerei, nec mercurius ipsi auxilium fert.

Maximi sane et certe non laudabilis erga opinionum commenta, quae delet dies, — amoris esset, contendere; — cancris nonnumquam bubones accedere posse mere sympathicos; quin infectio, cujus supra mentionem fecimus, ad primi stadii finem facta sit. Experientia enim sat probatur, hos bubones, cancris accedentes sympathicos, — inflammationem non veneream sed simplicem subire, imo suppurare posse. At-

tamen casum hunc rarissimis adnumerandum censet jam Cl. Bell.-l. c. „Semeiniglich“ ait ille, entstehen wahre Bubonen, wenn Chankres vorangegangen sind; wenigstens in 100 Fällen 99mal wahre Bubonen.“ In ejusdem habet sententiam et Clariss. Horn. Dignoscenda talis bubonis cujusdam conditio ex symptomatum incendii venerei absentia, — ex signis potius bubonum sympathicorum, gonorrhoeae accedentium praesentibus, — ex inflammatione demum cancri vehementissima, una cum tumore crescente et decrescente. — Bubones cancri accedentes, saepius sympathicos esse ex eo sibi forte persuasum habuerunt auctores, quod cancri eandem, ac gonorrhoeae naturam tribuerent. Gonorrhoeae tantum tumores adjungi posse sympathicos, — minime vero cancri, temporis futuri forte perscrutationibus reservatum est.

8) Quod attinet sympathicos glandularum inguinalium tumores, qui excipere visi sunt: frictiones mercuriales, ad cancos sanandos institutas, — ulcera genitalium, prorsus non venerea, — cereolorum applicationes, — stricturas aliosque urethrae morbos, nec non testiculorum affectiones, — haemorrhoides (Cruikshank), ulcera pedum vel crurum, — tumorem album genu, — oedema in extremitatibus haerens inferioribus, — ele-

phantiasin et s. p. — horum facillime perscrutaberis naturam, si causas diligenter eruas et in infectionem potissimum veneream, — vel ulcusculum venereum vitium forte effugiens, — sedulo investiges. Si vero nulum detegere possis cancerum, post coitum attamen suspectum, tunc tumor pro bubone primario habendus, donec probetur contrarium. Formam autem, cutis colorem, — aliaque, quae propria enumeravimus bubonibus venereis signa, — in mentem revocare, diagnosis certo juvabit.

3) Longe profecto difficilius est, inguinum tumores venereos internoscere a scrophulosis. — Plures vero sese offerunt notae, quibus vitium alterum ab altero recedit. Namque primo contagium venereum, si glandulae cujusquam infert tumorem, hunc ad externas tantum corporis partes a loco infectionis parvo sejunctas spatium producit, — unam tantum vehementius incendens, — contra morbus scrophulosus plures, ne dicam omnes glandulas invadens, leviolem ipsis inflammationis infert gradum. Bubo deinde scrophulosus dolores exhibet obtusos, quin imo omnino nullos, lente decurrit, praesertim si suppurat, pus profert spissum et coagulatum. Cutis ipsi superjacens colorem praesertim fert pallide rubentem, maculisque notatur al-

bis. Tandem aetatis, constitutionis, atque victus progressi sedulo habenda est ratio.

4) Tumores inguinum ab incremento corporis nimio qui interdum observantur — dolorifici, duri, coloris expertes, — nec incendiis nec suppurationi obnoxii.

5) Tumores denique glandularum inguinalium, catarrhis nonnumquam socii — velociter decurrunt et symptomata sibi assumunt catarrhalia nec non rheumatica.

Alia morborum genera — quae cum bubonibus confundi possunt, — depicta invenies apud Rust. (*Magazin* Vol. V. 3. p. 396.)

Cap. IV.

De cura bubonum venereorum.

Diu hic fuit inter medicos, neque hodieum convenit inter plerosque, quomodo bubonibus occurrendum sit et an suppurationi, an resolutioni primae deferendae essent. (Argumenta, quae his opinionibus inserviant tuendis, litteris consignata invenies a Metzgero, *Hufeland Journal*. Vol. I. 4.)

Nulla alio, ut quidem nobis videtur, modo, in re

tam ancipiti dijudicari potest nisi ratione habita processus suppurationis ejusque naturae.

In memoriam revocare velis, quae supra exposuimus de natura bubonis consensualis nec non vere veneri, — deque quae hos intercedit relatione. Si verum, bubonem sympathicum nil nisi primum veneri stadium esse, — de medela propria, ne dicam diversa ipsi necessaria, amplius sermo non erit. Tumorem sympathicum, nisi in secundum abeat stadium, sponte aut levissimis tantum in auxilium vocatis remediis desiderare vidimus, — si incendium ulcus, ex quo petit origines, — infestans, imminuatur. Ingruente autem stadio secundo, inflammatione necdum ad tale fastigium progressa, quo propriae naturae in medium proferat signa, — sane eruendum, utrum bubo sit contagiosus nec ne? Cum autem, diagnosis bubonis inflammati insontis maximis premi difficultatibus, non ignoremus, ne instituam sermonem de natura ipsius admodum dubia nec observationibus jam satis suffulta, optimum sane erit, si curantes sibi habeant persuasum: *quemlibet bubonem, cancris accedentem et incendio laborantem morbum esse vere venerum.* Certe huic innixa regulae medendi via nulla aegris inferet damna, quippe cum ulcus simul obvium hydrar-

gyri exposcat usum. Si nullum autem ulcus adest, aut aliud quid, ex quo concludi possit ad tumoris naturam, tunc ad signa recurrendum inflammationis venereae, quae supra depinximus.

Omnia, quae unquam protulerunt auctores ad confirmandam medelae vel discutientis, vel maturantis in curandis bubonibus praestantiam — argumenta, quibusdam nituntur notionibus, quas habent de miasmatis venerei natura, deque infectionis venereae modo. His examini subjectis, verum forte eruemus.

1) Quod primum est, suppurationi et resolutioni vim tribunt in morbi venerei incrementum, quam opinionem nec rationibus innixam, nec experientia sat probatam esse, contendimus.

Antiquiorum fere plurimi, quos postea recentiorum etiam nonnulli secuti sunt, suppurationem, criticam esse miasmatis venerei evacuationem sibi habuerunt persuasum; verentes, ne resolutis bubonibus miasma susceptum humores polluat, unde lues oriatur universalis. His primo adnumerandus est *Plattner*, qui ait crasse: „durch die Suppuration wird mehr Unrath weggeschafft.“ Ipsum prae ceteris secuti sunt: *Theden* *),

*) Unterricht für die Untermundärzte bei Armeen.
Berlin 1774.

Fabro l. c., Motzger *). Hic loco ait elato: „In der Regel ist die Zertheilung der beste Ausgang. Jede Regel hat aber Ausnahmen. Stockende Miasmen, wenn sie eine entzündete Geschwulst erregt haben, werden mit mehrerem Vortheil durch die Suppuration umgeändert und fortgeschafft, als wenn sie durch die Zertheilung wieder in die Blutmasse zurückkommen. Die Pestbucale steht man lieber eitem, als verschwinden.“ Porro: *Schelle* **) qui metastases vidit ex resorbitione puris, ad pulmones, nec non ad cerebrum factas, unde cephalalgia chronica, imo mania nata ***). Rüst †) de puris verba facit retrogressu. Wendt l. c. hypothesis profert, a pathologiae humoralis doctrinis magis absconam. Ex ipsius enim sententia, bubo plerumque idiopathicus, vicaria est passio, cujus ope impeditur, quominus laes alia aggrediatur organa, hoc vero vicarium munus, dissipato tumore, e medio tolli docet.

*) *Handbuch der Chirurgie*. S. 627.

**) *Hufelands Journal*. IV. 1. 92.

***) Bei der Zertheilung, ait ille, wird das vener. Gift durch die Vasa lymphatica in die Blutmasse geschafft und man muß nun abwarten, ob die Natur den Stoff durch die natürlichen Wege ausleert oder absetzt.

†) *Holkologia*. Vol. II. p. 51.

Qui vero resolutioni bubonum primas deferunt, his adversariorum argumentis, erroribus etsi iisdem obnoxii, — sequentia opponunt. Tantum enim abest, dicunt, ut suppuratione facta infectionis universalis periculum imminuatur, ut potius augeatur, miasmate per illam multiplicato. Huic consentiunt hypothesi: Simons, Girtanner, Bell et Schwediauer.

Utraque thesis rationes desumit ex praeconcepta de pure venereo opinione, nec non de infectione, miasmatis ope resorbti, facta. Infectionem vero veneream non per resorptionem, sed per organicam virium organicarum in se invicem efficaciam, consummari — supra demonstravimus. (pag. 14. II.)

Quod denique attinet *Wendtii* de natura bubonis vicaria, opinionem, hanc argumentis plane destitutam credimus. Saepius quidem, dum bubo incendio laborat gravissimo, alii non observantur morbi venerei; — saepius nihilominus tamen proveniunt. Suppurationem dein vicariam esse passionem, in dubium vocandum, nisi morbum venereum ex resorptione repetas materiae purulentae. Bubonem denique huius symptoma essentialis plane non esse, — sed morbum ex sympathico glandularum cum cute nexu — fortuitum, — nullam igitur praeter allatam, bubonem et morbum ve-

nereum intercedere relationem — ex supra dictis patebit.

Historias denique morborum, quod attinet, quas ad confirmandas afferunt hypotheses, quis non mirabitur, utramque opinionem nec ab experientia destitui, nec a summorum in arte virorum auctoritate? Alii enim dissipatis bubonibus nil mali vidisse referunt (Bell l. c., Schwediauer^{*)}, Berlinghieri, Heister, Richter, Horn, et alii), alii viri certe non mediocres (Platner, Dease, Theden, Fabre, Metzger, Rust) abstinendum esse docent a resolutione, tamquam medala ancipite, imo periculosa, et vividis depingunt coloribus malum resolutionis exitum, saepenumero observatum. Quin imo Schelle^{**)} insanos vocat, qui primas deferunt resolutioni.

Ex tanta opinionum repugnantia sat firmo nobis concluditur argumento; omnia damna, nec non luis universalis symptomata graviora, quae tribuunt resolutioni — aliis potius adscribenda esse rebus.

^{*)} Von der Pustfeuche, übers. von Kleffel.

^{**)} Huf. Journ. IV. 1. 1. „die gesunde Vernunft gebietet, alle consecutive Bubonen schnell in Eiterung zu setzen, weil sonst bei dem Zurücktreten des vener. Stoffs, die Natur denselben auf ein edleres Organ ablagern könnte.“

2) Omnimodo resolutionem discedere a suppuratione sibi habent persuasum, cum uterque incendi exitus una eademque potius gaudeat natura.

Uterque enim reconvalescentiae est modus, quippe quae destructione organismi morborum et reproductione sani perficitur, ita, ut eadem fiant durante resolutione, ac in suppuratione, minus tamen intense, et signis apertis magis destituta. Nec enim, si incendium quoddam discutitur, destructio, nec reproductio tanta incedunt vi, ut medium quoddam, pus nempe, procreandi sint pares. Luce igitur meridiana clarius, inflammationem contagiosam semper inficere, suppurare vel resolvari. Eadem de bubonibus matuenda essent inflammata, si pollerent vi inficiendi corpus, nec, quod attinet ad hanc, ulla intercederet diversitas suppurantes et resolutos.

3) Tum resolutionem, tum suppurationem artis solius ope perfici posse, credunt.

Pro diverso autem gradu et natura, inflammatio vel in hanc, vel in illam prona observatur crisis. Sic inflammatio animalis saepissime, vegetativa e contrario et sensitiva rarius suppurantes visae sunt. Recte Fabre (l. c. pag. 154) monet: nulla dari medicamina, quibus inessent virtutes nec dissipantes nec maturantes speci-

fica sed omnem pendere exitum a natura incendii peculiari.

His praelibatis, jam quasdam generaliores, quas ad medelam bubonum spectant, regulas, proponere experiamur.

a) Luis venereae incrementum, cum nec suppurationi nec resolutioni bubonum debeatur, sed aliis potius rebus, plane ignotis, *utrumque exitus genus pro securo habendum.* (Astruc de morbis venereis, lib. I. p. 320.)

b) *Resolutionis vero in bubonibus curandis praestantia* jam exinde elucet, si expendimus, quam difficillimum sit, eosdem ad maturationem perducere. Magis vero adhuc curantes hortatur, ut resolutioni palmam deferant, quae bubonibus solennis est suppurationis malignitas et diurnitas (ad XXX usque ad XL dies non raro extensa). Tandem ulcus succedens naturam plerumque sibi assumit venereum, omnibus non curis rebellem remediis.

c) Attamen si jam suppurare inceperit bubo, in medela discutiente pertinaciter amplius non standum, ne turbata suppuratione scirrhosam nanciscatur duriem. *Huf. Journ. I. 2.*

d) Optimum sane erit, si diversis in auxilium

ductis remedijs, prout inflammatio vel hanc vel illam sibi assumserit indolem, *criseos modum naturae committamus.* Fabrè. Hufeland.

A. Cura stadii vegetativi.

Bubo consensualis a. stadium vegetativum — sponte evanescit, nec ullis ipsi opus est medicamentis. Cum autem ignoremus, utrum infectio venerea superaccedat, nec ne; morbo jam occurrendum et in hocce stadio. Ad sequentes circiter indicationes buboni consensuali mederi studeat medicus:

1) Ut removeatur causa tumoris, ulcus nempe venereum. Ipsi congrua occurritur medela specifica, interno nempe hydrargyri usu. Fritze *) cancro, valde inflammato et admodum dolenti medicamina applicare suadet demulcentia et antispasmodica, torpido vero et paululum tantum incenso, irritantia et cauteria, ne specifica partis, primarie affectae, reactio cesset. Berliqghieri l. c. contra contendit, ulceris medelam non multum facere ad bubones dissipandos.

Nos quidem haud raro inflammationem in cancro,

*) Fritze Handbuch über die venerischen Krankheiten. Berlin 1797.

solito magis incrementem, non sine fructu sopivimus.

a) ut pseudorganismus deleatur. Hoc vario fieri potest modo;

a) mechanicis vel chemicis potentiis. Huc referenda Sografi *) methodus, qui glandulam tumentem extirpare suadet. Plane hanc abjiciendam esse, quis non videt?

b) remediis dynamicis. His adnumeramus medicamina, abnormem incrementi nisum deprimentia. Quantum, data occasione, observare licuit, epithemata frigida ex mica panis albi et aqua Goulardi vel ex aceto cum aqua simplici nupto — malum nonnumquam brevi discussere. Saepius et spem non fefellit emplastrum mercuriale cum emplastro malaxatum de hyosciamo. Ad remedia illa, quae morbum delent, vim ejus augendo, illa nempe, quae incendunt tumorem et ad suppurationem ducunt (e. g. epithemata calida; narcotica, acria) non confugiendum. Signa enim non exstant, ex quibus concludere possis, tumorem in secundum abiturum esse stadium et semper, ut supra monuimus dissipationi primae sunt deferendae.

*) Theoria lymphae ductuum Monroi et Hunteri exponitur etc. Padova 1761.

Cura insuper stadii secundi prophylactica haud negligenda. — Diaeta, haec perficitur, tenui, antiphlogistica, quiete, ac si alvus adstricta sit — clysterum refrigerantium applicatione.

B. Cura stadii inflammatorii.

Capite II. p. 33. demonstravimus, bubonis venerei inflammationem characterem praebere vegetativum. Ad hunc animus curantis attentus sit!

Cura bifaria; in radicalem enim discedit et palliativam medelam.

1) *Cura radicalis.* Inguente hocce stadio, principii memor sis: curam absolutam non aliter obtineri posse, nisi in auxilium vocata methodo specifica, Bubo enim a morbo cutis specifico pendet.

Teste Rust *) quodvis praeparatum hydiargyri quibusdam syphilitidis formis magis convenit, ac alia. Mercurium dulcem maxime proficuum esse in tollendis inflammationibus venereis docet. Hic ergo in usum vocandus.

2) *Cura palliativa* sequentibus absolvitur indicationibus.

*) Magazin. Band V. pag. 24. Anmerkung 4.

a) Omnia systematis hæmatophori irritamenta ar-
 cenda sunt, calor nempe externus nimis, motus, aer
 atmosphaericus, diæta vero instituenda antiphlogistica,
 cum notum sit; irritabilitatem vasorum exaltatam, in-
 flammationes augere locales. Remedia igitur spirituo-
 sa, narcotica, roborantia adhiberi vetantur, cibi et po-
 tus excitantes abjiciendi. Aegro bene consultum erit,
 si lectulo decumbat. Si alvus adstricta sit, clysteres
 injiciendi, illam aperientes, ne sanguinis circuitus sor-
 dibus impediatur abdominalibus.

b) Irritabilitas, morbose exaltata, deprimenda. Du-
 plici hoc efficitur modo, vel enim directa vel indi-
 recta via. De his seorsim.

c) Via directa, remediis antiphlogisticis. Hunc in
 finem laudatæ sunt humidines, quasum numerus, in-
 flammationis gradui adaptandus; porro frigus. Variæ
 sunt frigori virtutes in corpus humanum. Irritat nempe
 vasa et irritatione exaltata, actiones eorum auget. Eo
 autem gradu admotum, ut reversa temperiem partium
 imminuat, vim deprimit vitalem et extinguit. Hic
 vero non possum, quin moneam — frigus, etsi profi-
 cuum sit ad deprimendam vim vasorum, remedium,
 inflammationem, de qua nobis sermo est, si quid tri-
 buendum experientiæ, facile ad indurationes perducere.

Ipsam igitur caute et ratione ad incendii indolem habita, in usum vocandum. Frigus adhibetur in forma epithematum ex aqua frigida cum aceto, aut cataplasmatum ex mica panis albi et aqua Goulardi, aut denique: aqua glaciali in locum affectum, saepius de die destillata.

β) Via indirecta et quidem:

α) Per antagonismum. Haec medendi methodus nititur — antagonistica affinitate, quae singula C. H. intercedit organa. Laborante enim organo quodam, non raro videmus aliud, ipsi polariter (polarisch) oppositum, eadem correptum passione, prius affecto ad sanitatem redeunte. Experientia tantum haec testatur, nec satis res hactenus a physiologia illustrata, cujus est, organorum nexum dilucidare polarem et e legibus deducere naturae.

Medicus vero, hanc curationis viam ingressus, morbum excitat in organo quodam remoto, e contrario oppositum illi, quem sibi sumit debellandum et vim vitalem organi vicarii, deprimens vel excitans, contrariam conciliat conditionem aegrotanti. Tali modo, metachemismus, arte productus — statum, a sano aberrantem tollit. Methodus haecce in usum semper vocanda, si ex morbo locali malum imminet ferocius,

quam timendum ex morbo vicario, consilio facto. Spes est fore, ut feliciori successu in posterum, quam quo factum est hucusque, in inflammationis naturam penetremus, dummodo hujus curationis methodi indagatiōnī, ante magis studere libuerit.

His, quae in medium protulimus, ad therapiam bubonum venereorum delatis, quis non videt, hanc ceteris palmam praeripere medendi methodum, nec ullam esse, de qua magis sperandum, si quo modo sperare licet, fore, ut illius laboribus fastigium imponat grata et accepta dissipatio? Nec organum deest, cui morbus inferatur vicarius, quin quid mali ex istius timendum sit passione. Cutem enim et rete malpighium, antagonistica connecti affinitate cum glandulis subjacentibus, experientia persuadet. *Otitis igitur inflammationem excitando, incendium, glandulam telamque cellularem ipsam involventem, destruat, extinguendum est.* Methodus haecce in usum vocanda, si remedia, ad dissipandam exhibita inflammationem, effectum destituantur, si incendii vis non infracta sed potius appareat aucta, si in suppurationem minetur exitus. Remedia ad hanc, quam exposuimus indicationem, rite explendam *rubefacientia* sunt, quae inflammationem et ruborem cuti infligentia, imo in vesi-

enham, epidermidem attollentia, tumores dissepant, vel si aliqua percipiatur mollities suspecta, imo fluctuans. Remedia plura, ab auctoribus in bubonum medela laudata, rubefacientibus adnumeranda censeo, etsi alium in finem adhibita sint a medicis: ad suppurationem scilicet promovendam, ad vim vitalem excitandam in bubonibus sic dictis asthenicis, ad vasorum lymphaticorum actiones augendas et s. p. Huc pertineat: cucurbitarum siccarum applicatio, linimenti, volatilis vel lin. volat. camphorati infrictiones, ad glandulam vel, suadente Girtannero (*Handbuch der vener. Krankh.* I. p. 224) ad internas cruris partes lateris ejusdem, quod occupat bubo, factae, vesicantia vel fermentum panis a cel. *Schaarschmidt* in auxilium vocata etc.

Primus vero clariss. *Horn* in praelectionibus academicis, hanc, quam exposuimus antagonisticam bubonum therapiam, rite demonstravit et virtutem remedii contra hunc morbum, experientia duodecim annorum confirmavit. In nosocomio enim Charitatis, quod Berolini floret, sub ejusdem auspiciis nulla fere alia in usum vocata est medela, quippe quae nunquam spem frustravit (v. *Horn* *Rechenschaft über meine zwölfjährige Dienstführung an der Charité. Berl. 1819*). Ipse per annum et quod excurrit, quo interfui exercitatio-

nibus: clinicis, quas habuit cl. Horn, non semel vidi aegrotos, bubonibus laborantes, qui adhibito remedio laudato, sanati sunt.

In libello, inscripto: Joh. For. Kernbl Chirurgisch-practische Abhandlung über die venerische Drüsenbeule. Wien 1797. sequentem legimus formulam medicam, quam ad dissipandos bubones inveteratos, induratos laudat auctor:

R. Ceparum assatarum

Farinae sem. sinap. āā ℥ij

Saponis nigri ℥℔

Coque suffic. quantitate aquae fontanae
ad formam Cataplasmatis.

Plerumque hoc nimium irritat remedium. In nosocomio Charitatis sequens medicamentorum proportio optima apparuit et haec *cataplasmatis acris* sub nomine semper in usum vocata est.

R. Ceparum assatarum

Saponis nigri āā ℥iij

Farinae sem. sinap. ℥j (ad ℥ii)

Coque etc.

Sitapis pro diversa cutis sensibilitate, vel majori, vel minori adhibetur quantitate. Cepae, velamentis non

remotis, sub clypeis assentur; — contusae doli sa-
poni, cum aqua tepida, igni superimposito et pulvere
sinapeos admiscentur et lege artis in formam redigun-
tur cataplasmatum. Cataplasma tale calidum, v ad ve-
hementer spatio praterlapso cum alio sinatur. Calo-
rem diutius retinet, si cataplasma simplex reserfactum,
linceo circumvolutum, ipsi superimponatur. Si cutis
sub cataplasmatum usu excoriatur, — statim abjicienda
et remedia applicanda mitigantia e. g. cataplasma ex
seminibus lini, donec dispareant vesiculae. Hac con-
tinuata methodo, desiderata persaepe obtinetur resolu-
tio. Tumor varius remanens, sub unguenti neapoli-
tani emplâstri corni utaculati, — scitida, vel belladon-
nae usu, — brevi desidet, imo haud raro sponte eva-
nescit. Caveat aeger, ne nimio motu aut frictionibus
illam praepostere irritet.

Hic vero non possum, quin moneam, — remedio
hocce, oeconomiae maxime consulto, unde in nosoco-
miis praesertim in usum vocandum, — Magnum enim
oeconomiae momentum in eo positum est, ut morbus
diutius satiusque, quam fieri possit, tollatur; — in no-
socomiis praecipue, in quibus ad tempus longioris
aegrorum detentionis, ob victum alioque causas, ra-
tio simul est habenda.

b) mediate h. e. remediis, inflammationem augentibus, eoque crisi perficientibus.

Cataplasmata hic nominanda veniunt tepida et humida ex chamomillis, sambuco parata, cum croco mixta etc. Facile suppurationem inducunt, — adhibenda igitur, si ad finem hujus stadii ad suppurationem tendere videamus tumorem.

C. Cura stadii cricum.

1) Crisi succurrendum est inceptae. Suppuratio, cum non simul in omnibus appareat tumoris regionibus, sed lento incedat gradu, inflammatione in aliis adhuc vigente partibus; — remedia quidem indicantur antiphlogistica, sed illa, quae mediate vim deprimunt arteriarum, maturantia vulgo dicta. Nullo alio modo haec crisis promovent, nisi primum, incendium augendo. Sic, nunc resolvent, nunc maturabunt, prout in hoc vel in illud exitus genus (propensum sit malum,

Optime conducunt: Cataplasmata tepida, ex mica panis albi cum lacte, — vel ex speciebus parata emollientibus.

2) Removendum dein, quidquid vasa debilitat, ne suppuratio fiat maligna et justo nimis copiosa. Pri-

num inter haec, quae debilitant, locum, pus tener ipsum, latex, qui basicam ob indolem vasorum vim deprimit. Illud igitur, ut removeatur necesse! — Caveas autem, ne praemature tumorem aperiendo, ulcus efficias malignum et pertinax. Aër enim atmosphaereus, abscessus parietibus accedens, incendia, lentam ob suppurationis naturam, haud unquam absentia, ad eminentiam excitat, unde saepius pessimus observatus est exitus. Tunc enim semper verendum, ne bubones fistulas pariant vel ichor, pro pure natus partes vicinas, maxime arteriam erodat cruralem, cujus exitus lethalis est. Goufard (Remarques pratiques sur les maladies vener. §. 71. p. 106) bina retulit exempla. Ex pure incluso nil timendum esse, jam supra (Cap. IV. 1. p. 45) exposuimus.

Optimum erit, in plurimis saltem casibus, si naturae committamus munus, abscessum aperiendi. Saepenumero tales dissipatos adhuc vidimus bubones, in quibus jam fluctuationem percepimus; imo pus non raro pro parte ad nonnullas exsudat tumoris regiones, quin abscessus rumpatur.

Cultellus chirurgicus in usum vocandus, si ex cutis nimia tenacitate, pus effluere nequeat, ita ut aeger doloribus excrucietur saevissimis, imo

labacitet, — somno careat, — colicis laboret et siti.

Cura tunc secundum chirurgiae doctrinas instituenta.

3) Nimia systematis haematophori incitabilitas, aperto tumore remanens, deprimenda.

Hanc plerumque sponte, remediis simplicissimis tantum (ut unguentis ceratis) adhibitia, evanescere vidimus. In hominibus debilioribus, humorum dyscrasia laborantibus, ad glandularum morbos propensis, pus ex nimia vasorum incitabilitate natum vidimus malum, ichorosum, corrodens. Ulceris margines callescut, fistulae accedunt et denique phthisis consensualis. Confugiendum ad remedia stimulantia mitiora, ad unguentum hydrargyri rubri, pulveres mercurii praecipitati rubri, ung. oxygenatum, vel solutionem lapidis chirurgorum aut infernalis; nec negligendus internus acidorum et corticis peruviani usus. Inter alimenta ea potissimum congrua sunt, quae nutriunt magis, quam valide stimulant, ut cerevisia, caro vitulina, gelatina carniū et his similia. Hydrargyrum talibus facile nocere potest aegris.

4) Praecavendum, ne denuo inflammationes suboriantur, iisque, si subortae sint, mœdendum.

a) Remedium stimulans, ne nimia adhibeatur dosi.
Facile inde incendium.

b) Removendum, quicquid stimulat — ut frigus
externus, motus nimius etc.

c) Morbi secundarii curandi. His adnumero inflammationes vel indurationes, in ulcere factas, quibus puris impeditur secretio. Ipsiis occurrendum per fomenta tepida, frictiones unguenti mercurialis, vel liniamenti volatilii aut per emplastrum resolvens.

D. Cura stadii ultimi.

In stadio ultimo nil amplius faciendum, quam quod exposuimus in therapia stadii crisiis.